

omni fluido liberati vel exsiccati anatome, si Experimentum fiat: Ex  
massæ enim sanguinis residuæ unciis quatuor effuso omni sollicitè  
fluido ad siccitatem destillatis, liquoris aquei & lymphidi tres un-  
cias grana tria & quinquaginta obtinuit Boyle; vid. *Hist. Sang. hum.*  
*part. 3. pag. 22.* Aut si mavis sanguinis exsiccati anatomen, an aqueas is  
suppeditaverit particulas, a Boyleo institutum experimentum rem de-  
clarabit; ex hujus quippe unciis viginti & quatuor modicum prodiit  
phlegma, quod post sublimationem ad drachmas duas & quinque  
circiter grana collectum fuit, v. *Hist. Sang. hum. par. 2. ad Tit. 24. pag. m. 20.*  
de cujus præsentia, cum antea sensum fugerat, meritò dubitabatur;  
ut taceam Boylei testimonio quoque è sanguine eodem prodiisse  
spiritum, qui cum humidus, humiditatem autem remotâ servare  
aquâ nequiverit, sed salis induerit formam, sequitur, spiritum quo-  
que de præsentia aquæ in corpore, è quo hic extrahebatur, testari.  
Quod si jam dicta Viscido è sanguine producto humori applicentur,  
& proportio minoris ad majus observetur, res, quæ modo erat du-  
bia, omni veritate major erit.

§. 6.

Præmissa itaq; terrestrium & aquosarum declaratione, salinarum  
quoque particularum in Viscido existentium eadem indagabimus me-  
thodo. Ante omnia autem præmonemus, per salia hic non volatilia,  
sed fixa intelligenda esse. Illorum enim *εσέρυεια* non in incrassatione  
seu inspissatione sed in resolutione consistit, ita, ut serum sanguinis  
etiam ab admisto spiritu salis ammoniaci fluidum redditum obser-  
vaverit Boyle, *Hist. Sang. hum. part. 3. exp. 6. pag. m. 23.* Horum au-  
tem contraria est ratio, quod idem auctor per aliud explicat experi-  
mentum, cum fixo alcalisatò sale, oleo tartari per deliquium, idem  
ferè ac à spiritu salis in sero factum esse coagulum *cit. loc. exp. 7 pag. m. 4.*  
narrans. Et per magni Philosophi auctoritatem quæ *primaria*, inquit  
*salium qualitas est, maxime fixa esse*, hoc est non facile in vapores soluta  
attolli, *Meteor. cap. 3. §. 6.* confirmans. Unde facile licet conjicere, in  
texturâ Viscidi accuratius inspecta, tale quid reperiri, quod tenacita-  
tem & soliditatem, adeoque combinationem promoveat, & hoc est  
sal, ad mentem Excellent. Bohnii *Medit. d. Aeris in sublunaria in-*  
*fluxu Dissert. 11. §. 24. 25.* Quod si jam illud ipsum acidum magis sit,  
particulæ alias oblongæ & acuminatæ inter se magis conjunguntur,  
quadra-